DE

MIS ENUNCIATIONUM CONDICIONALIUM APUD TACITUM.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOS. HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUPLICO DEFENDET

J. O. KLINTBERG

PHIL. CAND. GOTL.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MINORE

A. D. X CAL. JUN.

H. P. M. S.

HOLMIÆ

PIS DESCRIPSERUNT P. A. NORSTEDT & SÖNER

MDCCCLXXVII.

Scriptores argenteæ, quæ vulgo vocatur, latinitatis non in usu singulorum modo verborum, quibus novam sæpius vim et significationem addunt, sed etiam in grammatica ratione a consuetudine prioris ætatis, quum lingua ad summam perfectionem adducta est, haud raro discedere satis constat. Atque quum multi viri et docti in eo maxime elaborarint, ut aut qualis universa esset elocutio singulorum scriptorum cognoscerent aut quas illi leges in una quadam re secuti essent, factum est, ut multa, quæ singulorum propria et communia compluribus sint, melius jam sciamus. Præsertim de loquendi consuetudine Taciti tam multa his annis scripta sunt, ut rationem ejus vel in componendis enunciatis vel in verbis collocandis et proprietatem particularum perspectas habeamus. Pauci autem de singulis enunciationibus, quales ipsæ essent, disputaverunt. Wölfflin, quum »die genetische Entwickelung des Taciteischen Stils» perscrutatur (Philologus. Zeitschrift für das klassische Alterthum von Ernst von Leutsch. Band 25—27) de aliis enunciationibus nonnulla ille quidem, de condicionalibus nihil fere annotavit. Quas enunciationes si inspicerem quum operam me non perditurum putarem, exempla quam accuratissime colligere et disponere constitui; quod quum prope ad finem jam esset perductum, Germanum quendam, Maximilianum Morgenroth, ut ea, quæ scripsisset Wölfflin, pleniora faceret, aliquid de ea re edidisse, cognovi. Quum tandem mihi contigisset, ut scrip-

tum percurrerem, nihil de particulis condicionalibus per se quomodo adhiberentur dictum inveni neque quidquam de enunciationibus, in quibus verbum *esse* omissum est; quo quum accederet, quod unum vel pauca exempla e multis sæpius allata sunt, haud dubitavi, quæ de formis enunciationum illarum annotassem, in lucem proferre.

Atque ita agendum mihi putavi, ut primum usum temporum et modorum, qualis in recta oratione esset, explicarem, deinde exempla, quæ obliquæ, quam vocant, orationi essent insertæ, ita ut comparari possent, congererem, tum exponerem, quæ in usu particularum condicionalium commemoratione dignissima essent; in postrema parte de sententiis, in quibus verbum *esse* est omissum, locutus sum.

E scriptis Taciti, quæ supersunt, primum editus est Dialogus de oratoribus, anno 81, si modo est a Tacito conscriptus; liber de Agricola anno 97 vel 98; paullo post lib. de Germania; Historiæ circ. a. 107; Annales circ. a. 116 scripti sunt. Hac in re consentiunt viri docti. Dialogus scriptis prioris ætatis similior est; in Ann. longe plurima exempla inveni, quæ a solitis formis recedunt, id quod suis locis ostendetur.

Exempla de editione Halmii (Lipsiæ MDCCCLXXIV—LXXV) exscripsi; etiam alias in comparationem vocavi, quas ediderunt: Orelli (Turici MDCCCXLVI—XLVIII); Ritter (Lipsiæ MDCCCLXIIII); Nipperdey (Ann., Leipzig 1851—52); Dræger (Leipzig 1873—74); Heræus (Hist., I., II., Leipzig 1872); Kritz (Germ., Berolini MDCCCLXIV; Agr., Berol. MDCCCLIX); Roth (Agr., Nürnberg 1833); Wex (Agr., Brunschvigæ MDCCCLII).

Primum igitur ut usum temporum et modorum, qualis sit, consideremus, facile, si universe judicaveris, apparet, Tacitum sæpissime usurpare *conjunctivum* modum in secundariis sententiis condicionalibus; nam non in obliqua modo oratione, quæ vocatur, et in sententiis, quæ habent condicionem rei veritati ita oppositam, ut, quod contra est, esse vel futurum esse (»condicionalis I») aut fuisse (»condicionalis II») cogitetur, sicut ceteri, ita T. conjunctivo utitur, sed etiam in sententiis, quibus iterationis vis exprimenda sit, id quod a loquendi consuetudine Ciceronis, Cæsaris, Sallustii abhorret[1]). Accedit, quod frequentissimus conjunct. »potentialis» est.

Priusquam autem ad exempla enumeranda transeamus, quæ de enunciationibus condicionis præcepta sint, paucis exponemus.

1. In utraque enunciatione, et secundaria et primaria, *indicativus* usurpatur, quum ex alterius veritate alteram veram esse concluditur ita, ut verane res sit necne, non judicetur.

   [In primaria sent., quum *potentiali* vi profertur, aut *hortandi, optandive* vim habet, aut interrogationem continet *dubitativam*, *conjunctivus* (imperativus) adhibetur]. Lattmann-Müller, Schulgramm. 1872. § 177.

---

[1]) vide Madvig. Sprachlehre (1857) § 359.

2. In utraque enunc., et secundaria et primaria, *conjunctivus præsentis* (in primaria enunc. etiam *perfecti*) usurpatur, quum aliquid nunc non esse, sed fieri posse significatur.

   [Quum in secund. sent. usurpatur *perfectum* et addita est prim. sent. præsentis, actio illius ante actionem hujus facta esse significatur-»Antecedens». In primaria sent. ponitur *indicativus*, quum consequens esse pro certo affirmatur]. Lattm.-Müller § 178.

3. In utraque enunc., et secundaria et primaria, *conjunctivus imperfecti* (condicionalis I) usurpatur, quum aliquid esse vel futurum esse cogitatur, quod non est vel erit; *conjunctivus plusquamperfecti* (condicionalis II), quum aliquid fuisse cogitatur, quod non fuit.

   [In secund. sent. condic. II (pro I), quum ea tempore antecedere significatur]. Lattm.-Müller § 179.

A legitimis, quas exposuimus, formis haud raro Tac. recedit. Quum autem etiam apud veteres scriptores nonnulla discrepent atque ad totam rationem condicionis, qualis sit, cognoscendam etiam ea, quæ ad solitas leges accommodata sint, necesse sit exponere, ita faciam, ut primum sententias legitime conformatas, deinde quæ minus usitata visa sint, expromam; cum sermone priorum, quantum potero, Taciti conferam.

1. Quod ad usum *præsentis* attinet, est animadvertendum, sententias indicativum in utraque enunciatione præbentes nisi in Dialogo non sæpe inveniri. (Exempla, ubi particulis *nisi quod, nisi forte* subjectus est indic., quod solutius cum apodosi vinculum habent, non affero). Ann. 1,35 (historicum).

— 3,50. — 54. — 4,40. — 12,37[1]). — 41 (*si quis*, supplendum: *est*) 13,21. — 14,56 quin, si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas (vere præsens non est; »notissimum nunc est vividam hanc esse *imperativi* exprimendi formulam». Orelli.). In ceteris scriptis hæc sunt: Hist.: 1,29. — 30. — 4,58. —; G. 20[2]). —; Agr. 30. —; Dial. 5 (bis) — 9 (bis). — 10. — 11. — 16. — (in 18 variant codd.). — Unus est locus, ubi præsens pro futuro in utraque enunciatione positum est: Ann. 11,30 ac ni propere *agis, tenet* urbem maritus[3]). — Duos locos, ubi *perfectum* indic. cum indic. præsentis conjunctum est, inveni: Ann. 3,12 quo — *pertinuit*, si — scrutanda *sunt*, 16,31 si crimen *est*, sola *deliqui*.

In protasi *indicativus* modus est, in apodosi *imperativus* (soli Ann. exempla præbent): 1,43 si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem et filium *redditis, discedite* — 3,12 sin facinus *detegitur* (pro fut.), vos — *adficite* — 3, 54 sin accusare vitia *volunt* (pro fut.), — *faciunt* ac mihi *relinquunt, credite* — 12, 21 vel si non *credis, dimitte* et *quære*.

Semper in protasi, nisi condicio in præsenti tempore posita et in præsens valet et in futurum

---

[1]) Illo ex capite, quantopere modi et tempora varientur, videre licet: Si — fuisset, — venissem; Quid mirum, si — amisi; — si vultis, sequitur; — si — traherer, — inclaruisset; — si — servaveris, — ero —; Cfr 14,56 nisi forte — postponis; si — declinat, revocas; si — reddideris — si reliqueris, — versabitur; quodsi laudetur, — fuerit. [2]) Mirum est, Germ. indicativi præsentis in protasi adhibiti plura exempla non præbere, quamquam de præsentibus rebus dicitur; pro indicativo usurpatur (præter 20) *conjunct.*, ut iterationis vis magis exhibeatur. — [3]) Cfr Dræger: Historische Syntax der lateinischen Sprache (1874). Erster Band § 139. — Cfr quæ de enunc., quæ habent præsens in protasi adjuncta apodosi futuri, paullo post disputabimus.

refertur (»da ein für die Gegenwart hypothetisch gesetzter Fall sich auch auf die Zukunft mit bezieht.» Lattm.-Müller), quum apodosis habeat futurum aut imperativum aut »conjunctivum imperativum», futurum usurpare Latinos satis constat; præcipue talia verba, qualia sunt *volo*, *possum* similia in futuro aut »absoluto» aut »exacto» ponuntur[1]); interdum autem fit, ut *præsens*, ubi futurum exspectes, inveniatur; id quod scriptoribus aureæ, quam vocant, latinitatis inusitatum esse commemorat Dræger (Hist. Synt. pag. 262). Exempla apud Tac. sunt: Ann. 4, 35 nec *deerunt*, si damnatio *ingruit*, qui — (Cfr 2, 77 si quid hostile *ingruat*, quem justius arma oppositurum — 4, 2 si quid subitum *ingruat*, majore auxilio — subveniri) — Hist. 2, 77 nam si *vincimus*, honorem — habebo — 3, 2 nisi quis *retinet*, idem suasor auctorque consili ero — 24 nisi *vincitis*, pagani, quis alius imperator, quæ castra alia excipient? — D. 32 si testes *desiderantur*, quos potiores nominabo. — Recte præsens in his locis est scriptum: Ann. 4, 37 et vanescet Augusti honor, si promiscis adulationibus *vulgatur* (nunc v. et posthac vulgabitur) — D. 12 vel si hæc fabulosa nimis et composita *videntur*, illud certe mihi concedes[2]). — Restat, ut locos afferamus, ubi apodosis potentiali vi profertur aut adhortandi, permittendi, optandive vim habet. Semel in jurando[3]): Ann. 6, 6 di me deæque peius *perdant* quam perire me cotidie sentio, si *scio*. — Ann. 3, 12 nemo moestitiam meam *spectet*, nec si qua in nos *finguntur* — 16, 22 *transeamus* ad illa instituta, si potiora *sunt* — Agr. 46 Si quis

---

[1]) Lattm.-Müller § 101. 2, ann. 1, 3. Krebs. Antibarbarus. 1843. Einleit. § 109. Exempla collegit Dræger, Histor. Syntax § 137. — [2]) Orelli: concedis. — [3]) Cfr Madvig. § 348 ann. 3.

piorum manibus locus (suppleas: *est*), si *extinguuntur* magnæ animæ, placide *quiescas*. — Apud Tacitum latius quam apud ceteros Romanorum scriptores usus conjunctivi *perfecti potentialis* patet[1]). Cum indicativo præsentis in protasi enunc. condicionalis conjunctus: Ann. 3, 50 si, patres conscripti, unum id *spectamus*, — *suffecerint*. Hist. 1, 16 ne tamen territus *fueris*, si duæ legiones — nondum *quiescunt*.

2. Ut ad enunciationes, quas ii, qui libros grammaticos composuerunt, potentiales appellant, progrediamur, primum observavi paucis locis conjunctivum præsentis in *utraque* enunciatione, et protasi et apodosi, quamquam ea quidem legitima est forma atque usitatissima, apud Tac. inveniri; neque exempla reperi nisi in Dialogo: 16 quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum *referas*, fortasse longum *videatur* — 26 ceterum si *eligenda sit* forma dicendi, *malim* hercle[2]); et in Ann. unum: 3, 54 nam si *velis*, *timeas*. — In his sententiis utraque enunciatio habet conjunctivum, apodosis autem optandi cet. vi profertur: (14, 9 *occidat*, dum *imperet*) — Agr. 46 admiratione te potius et immortalibus laudibus, et si natura *suppeditet*, similitudine *colamus*. — Per conjunctivum *perfecti* potentialis vis in apodosi exprimitur: Ann. 14,56 quodsi maxime continentia tua *laudetur*, non tamen sapienti viro decorum *fuerit* (antecedit: si — reliqueris, — versabitur).

Contra sententiæ, quarum in protasi *conjunctivus* adjuncta apodosi *indicativi* præsentis invenitur, permultæ sunt; atque haud scio an vere dici possit.

---

[1]) Hist. Syntax pag. 282. — Dræger: Ueber Syntax und Stil des Tacitus (1874), pag. 12 — [2]) Cfr cap. 10.

in secundariis enunciationibus condicionis, non solum ut potentialem vim exhibeat, sed etiam, quum aliquid præsenti tempore sæpe fieri significandum sit, semper fere usurpare Tacitum conjunctivum (modo in altera, modo in tertia persona positum), quod quidem optime e Germania intelligi licet.[1]). Grammatici iterationem per conjunctivum præsentis exprimi solere, quod sciam, non docent (de conjunctivo *imperfecti* et *plusquamperfecti* mentionem faciunt[2]). Wölfflin[3]) autem (ad G. 10, ubi Halm consuletur in *consultetur* mutavit) dixit, se formam Halmii mutatam approbantem, quod ille observasset, «dass das *iterative si bei Tac. regelmässig den conjunctiv habe*», verum esse pluribus exemplis ostendere velle; et affert sententias, in quibus *præsens* inest (Agr. 24 si comparetur, 44 si velint; Hist. 1, 16 et si velis) et unum *imperfecti* exemplum (Hist. 4, 6 nam si caderet Marcellus, agmen sternebatur [?]). Recte sane est observatum, si quidem usum præsentis et imperfecti spectaverunt. *Plusquamperfecti*, de quo postea disputabimus, contraria est ratio ita, ut constanter indicativus usurpetur. In unum locum exempla præsentis, sive altera sive tertia persona adhibita est, conferam: Ann. 4, 34 si *irascare*, adgnita videntur — 51 et, si *cedant*, insignitius flagitium (11, 24 ac tamen, si cuncta bella *recenseas*, nullum breviore spatio quam adversus

---

[1]) Aliquot locis indicativum pro conjunctivo sic usurpatum reperi: Ann. 4, 17. — G. 20 (vide supra). — Agr. 30. — Dialogi, quia longe aliam elocutionem præbet, exempla accuratius non inspexi. Cfr de hac re etiam Krebs., Einl. § 124. — [2]) Madvig § 359; 335, ann. 1. Lattm.-Müller § 180, ann. 3; cfr. 162, c, ann. 2; Autenrieth: Grundzüge der Moduslehre im Griech. und Lateinischen. Programm, Erlangen 1875. VII. — [3]) Philologus von Leutsch 26, pag. 162.

Gallos confectum (int. est) — 14, 14 ut est vulgus cupiens voluptatum, et si eodem princeps *trahat*, lætum — 44 servi si[1]) *prodant*, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si *pereundum sit*, non inulti inter nocentes agere. — Hist. 1, 16 adoptandi judicium integrum, et si *velis* eligere, consensu monstratur — 83 sæpe honestas rerum causas, ni judicium *adhibeas*, perniciosi exitus consecuntur —; si, cur jubeantur, quærere singulis *liceat*, pereunte obsequio etiam imperium intercidit — 3, 36 ignava animalia, quibus si cibum *suggeras*, jacent torpentque — 86 simplicitas ac liberalitas, quæ, ni *adsit* modus, in exitium vertuntur — 4, 64 etiam fera animalia, si clausa *teneas*, virtutis obliviscuntur — 5, 6 si vim ferri *adhibeas*, pavent venæ. — G. 7 duces exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem *agant*, admiratione præsunt — 10 si publice *consultetur*, sacerdos civitatis, sin privatim ipse paterfamiliæ — tollit (Orelli, Kritz, Baumstark: consu*le*tur.) — 13 id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus *emineat* — 14 si civitas — pace et otio *torpeat*, plerique — petunt — 17 Tegumen omnibus sagum fibula aut, si *desit*, spina consertum — 35 prompta tamen omnibus arma ac, si res *poscat*, exercitus — 37 si — *computemus*, — colliguntur. — 40 vehiculum et vestes et, si credere *velis*, numen ipsum secreto lacu abluitur — 45 si naturam sucini admoto igni *temptes*, accenditur — Agr. 13 ipsi Britanni — munera impigre obeunt, si injuriæ *absint*[2]) — D. 9 quanto

---

[1]) Madvig (vide Adversaria critica II, pag. 554) si in *ni* mutavit; »agitur de cavendis servorum proditionibus, non de contemnendis»; etiam 4, 28 Tacito *ni* pro si reddidit. — [2]) Kritz ad h. l.: »conjunctivo significatur injuriarum absentiam valde dubiam ac raram fuisse.»

tamen pulchrius, si ita res familiaris *exigat* —; adjice quod poëtis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere *velint*, relinquenda est — 18 si me *interroges* (etiam — as), omnes mihi videntur — 39 est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti *ferantur*, debilitatur ac frangitur eloquentia.

Illis nonnulla addantur exempla, ubi apodosis certum prædicatum non habet aut aliter est conformata aut cogitatione fingenda est (Cfr Ann. 11, 24): Agr. 44 quod si habitum quoque eius posteri noscere *velint*, decentior quam sublimior fuit — D. 12 ac si introspicere altius *velis*, ipsum Apollinem accepimus (intelligendum est in illis: *dicam* vobis, *sciatis* vel tale quid) — 20 quid enim, si *credas* — G. 2 Quis — Germaniam peteret, informem — asperam, tristem, nisi si patria *sit* (protasis non ad *quis peteret*, sed ad adjectiva *informem* cet. refertur, unde suppleas: quæ nulli placere potest. — Cfr Ann. 13, 31. — Hist. 1, 1. —

Ad quandam similitudinem potentialis modi *futurum* tum accedit, quum in apodosi positum cum *conjunctivo præsentis* in protasi conjungitur. Tamen tenendum est, inter formas illas intercedere dissimilitudinem ita, ut per futurum aliquid majore quadam vi affirmetur[1]). Ann. 3, 54 set si quis legem *sanciat*, poenas *indicat*, idem illi — *clamitabunt* — 15, 21 quæ si *arceantur*, æquabilius atque constantius provinciæ *regentur*. — Hist. 1, 84 si Vitellio et satellitibus eius eligendi facultas *detur*, quem nobis animum, quas mentes *imprecentur*, quid aliud — *optabunt?* — D. 27 nec jam vos offendi *decebit*, si

---

[1]) Lattm.-Müller § 101. 3, ann. 1. — Cfr exempla, ubi in apodosi futurum, præsens *indic.* in protasi est positum.

quid forte aures vestras *perstringat* (variant codd.; habent — *it* — *et* — *at*; vide Orelli.). — Quum omnes fere sententias rectæ orationis, quarum in protasi indicativus aut conjunct. præsentis positus est, protulerimus explicatumque sit, quantopere tempora et modi in apodosi varientur, sequitur, ut ad usum *imperfecti*, qualis sit, investigandum progrediamur.

1. Primum igitur *indicativum imperfecti* formulæ *nisi quod* frequentius subjici observavi (Ann. 1, 16. — 33. — 3, 1. — 6, 24. — 11, 24. — 12, 16. — 14, 40. — 16, 7. —; Hist. 4, 39; de illis enunciationibus alio loco diligentius disputabimus). — Raro aliter indicativus in protasi invenitur: Ann. 2, 71 si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem *movebat, inlacrimabunt*; et paullo infra: *vindicabitis* vos, si me potius quam fortunam meam *fovebatis*. — Neque talem usum temporum (imperf. — fut.) alio loco reperi. — Cum *præsenti* »*historico*» conjunctus: Ann. 12, 33 et si qua clementer accedi *poterant*, in modum valli *præstruit*[1]). Cfr Hist. 3, 52. — In his sententiis, quum aliquid sæpius repetitum esse significetur, conjunctivus e consuetudine Taciti loquendi exspectari poterat: Ann. 16, 34 si qua clarius proloquebantur, de natura inquirebat — Hist. 5, 15 vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illuc corporibus nitentes — inplicabantur. Nullo alio loco indicativi imperf. in protasi usurpati inveni exemplum.

2. Ad alterum genus sententiarum, in quibus

---

[1]) Per occasionem addo, Tac. quantum investigare potui, in sententiis secundariis condicionalibus e *præsenti historico* dependentibus, sive priorem sive posteriorem locum obtinent, præterita tempora adhibere; cfr Ann. 1,19. — Hist. 1, 31. — *Infinitivus hist.* in locis Ann. 13, 37. — Hist. 2, 5. — 19. — 4, 1. — in apodosi enunc. cond. positus est.

protasis habet *conjunctivum, indicativum* apodosis, nunc venio. Per conjunctivum aut iterationis aut potentiali vi profertur condicio.

a. Primum igitur, quod ad iterationem attinet (præter in iis, quæ attuli, exemplis), Tacitum mirum in modum constanter uti conjunctivo, exemplis facile ostendetur. Grammatici quidem docent, inferioris latinitatis scriptores, ut vim iterationis exhibeant, in secundariis enunciationibus, contra morem veterum, usurpare *conjunctivum*, maximeque de *plusquamperfecto*, rarius de imperfecto, quod tempus ita non sæpe adhiberi commonent, mentionem faciunt[1]). Contra apud Tac. enunc. condicionales se habent. Frequentissime enim atque constanter imperfecti *conjunctivus* (cum indicativo imperf. in apodosi conjunctus) usurpatur, id quod apud Livium rarum, Suetonio usitatissimum est[2]), neque minus constanter *indicativus perfecti* (cum *præsentis* indic. in apodosi conjunctus), *indicativus plusquamperfecti* (cum indic. *imperf.* in apodosi conjunctus[3]). Exempla tandem afferamus imperfecti: Ann. 2, 33 *Erat* quippe frequens senatoribus, si quid e republica *crederent*, loco sententiæ promere — 57 si quando *adsideret*, atrox ac dissentire manifestus (int. *erat*) — 3, 69 Atque ille prudens moderandi, si propria ira non *impelleretur* — 4, 6 ac si quando *disceptaret*, forum et jus

---

[1]) Cfr Madvig. § 359. — Lattm.-Müller. § 162 A, c, ann. 2. — 108, ann. 2. — Unum imperfecti exemplum præbet Cicero: de Or. 1 § 232 *Erat* enim Athenis reo damnato, si fraus capitalis non *esset*, quasi poenæ æstimatio; vide Heræum ad Hist. 1, 49; Dræger. ad Ann. 3, 69. — [2]) Drager, Stil d. Tac. § 192. — [3]) A proposito alienum non videatur, quomodo Tac. modos post particulam *ubi*, quam iisdem fere legibus obstrictam esse docent Grammatici, adhibere soleat, paucis exponere. Primum enim huic particulæ, sicut apud Livium (vide Kühnast: *Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax*, 1872, pag. 237), ita apud Tac. **conjunctivus** iteratio-

— 19 silente reo, vel si defensionem *coeptaret*, non occultante (cfr de hoc loco BOETTICHER: Lexicon Taciteum pag. 114; peculiarem esse vim in particula *si* dicit) — 32 aut si quando — *præverterent*, — *memorabant* — 46 aut si *mitterent* auxilia, — belligerare (auditur: soliti sunt) — 60 seu *loqueretur*, seu *taceret* —5, 11 nisi *lacesseretur*, modestiæ retinens — 6, 1 si *retinerent*, — *exercebant* — 30 si facultas *incideret*, poenis *adficiebantur* — 11, 22 si bonis artibus *fiderent*, licitum — 12, 32 vel si *temptarent*, punito dolo — 35 si *resisterent*, si — huc *verterent*, — *sternebantur* — 13, 25 si — *ageretur*, arma — *inferebant* (variant editiones) — 37 si copiæ contra *ducerentur*, eludere (præsens historicum[1]) — 46 si ultra unam alteramque noctem *attineretur*, nuptam esse se *dictitans* — 15, 45 dum per simplicem victum et agrestibus pomis, ac si sitis *admoneret*, profluente aqua vitam tolerat. —

Pauci loci in Historiis et scriptis minoribus inveniuntur: Hist. 1, 49 (ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens,) si mali *forent*, usque ad culpam ignarus — 2, 5 si res *posceret*, manu hostibus *obniti* (præs. historicum) — 4, 1 vel si *resisteretur*, causa cædis — D. 19 atque id ipsum *laudabat*, si dicendo quis diem *eximeret;* quod si quis odoratus philosophiam *videretur* et ex ea locum aliquem orationi suæ *insereret*, in caelum laudibus *ferebatur*.

---

nis causa subjungitur, (cfr HOFFMANN: *Die Construction der Lateinischen Zeitpartikeln*. Wien 1873, pag. 54 sequ.) *imperfectum*: Ann. 3, 21. — Hist. 1, 79. — 2, 88; *plusquamperf.* Hist. 1, 49. — 2, 63; tum **indicativus** (Hoffmann pag. 45) Ann. 4, 23. — 15, 10. — Hist. 1, 46. — 3, 10. — 33. — Agr. 20. Hæc exemplorum copia facile augetur; concludi igitur potest, majorem esse constantiam condicionalium quam temporalium enunciationum.

[1]) Cfr Lattm. — Müller. § 108, ann. 2.

b. Sequitur, ut sententias, quibus potentialis vis exprimitur, consideremus. Primum commemoro, enunciata secundaria per particulam *si* inducta ex verbo aliquo *experiendi, tentandi,* simil., quod cogitandum est[1]), suspensa haud raro facere Tacitum ("um zu versuchen, ob; ist wohl ein Gräcismus", Heræus ad Hist. 1, 31). Inveniuntur nonnulla apud Cæsarem, permulta apud Livium exempla[2]). Ann. 1, 48 dandum adhuc spatium ratus, si — *consulerent* — 4, 49 exercitum ostendit, si — *auderent* — 12, 28. — 13, 40. — 15, 13. — Hist. 1, 31. — 3, 52. — Illos locos congessit Dræger; addatur: Hist. 3, 30 rapi ignes Antonius inferrique — jubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem *traherentur.* — Alia hæc enumerantur conjunctivi potentialis exempla[3]): Ann. 2, 4 ubi, si nostra vi *defenderetur*, bellum adversus Parthos sumendum erat — 2, 30 si mollius *acciperes*, miseranda — 2,52 si — *spectares* —. Fortasse huc referendum est: 2, 63 Maroboduus, si quando *insolescerent* Suebi, quasi rediturus in regnum ostentabatur —; 3, 13 quod neque convictum noxæ reo, si recentiora *purgaret*, neque defensum absolutioni erat, si *teneretur* majoribus flagitiis (participia *defensum, convictum* vices enunciatonis secundariæ condicionalis sustentant[4]). — 4, 6. — 12, 7. — 13, 39. — 41 nec id nobis virium erat, quod — divideretur, vel si integra et incustodita *relinquerentur*, nulla in eo utilitas aut gloria — Hist. 3, 34 si qua alia vis *irrueret* (pro futuro) — 72. — 4, 6. — 42. —

---

[1]) Cfr Lattm. — Müller. § 136, ann. 4; Madvig. § 451, d. — [2]) Kühnast. pag. 243. — Stil d. Tac. § 193. — cfr etiam Boëtticher. Lex. Tac. pag. 114. — [3]) De potentiali vi præteritis temporibus expressa vide: Autenrieth. pag. 21. — [4]) Participia nullo alio loco sic a Tacito usurpari contendit Dræger (Ann). —

5, 11 ac ni statim Hierosolyma *conciderent*, morari (pro futuro) videbantur — 5, 13. —; Agr. 35. Haud sane facile est dijudicatu, conjunctivus uniuscujusque loci utrum potentialis sit an ideo usurpatus, ut aliena sententia exprimeretur. Et dubitavi, an aliquot exempla, quæ attuli, quamquam in apodosi est indicativus, ita explicanda essent, ut ex alieno metu, sententia causa conjunctivi quærenda existimaretur (Ann. 2, 4. — 13, 41.). — In his conjunctivum ita intelligendum censeo: Ann. 11, 12 sed certo, si *abnueret*, exitio, — pro solacio habebat — 12, 42 nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni — *exsolverentur* — 14, 3 sed inter epulas, si *daretur*, referri ad casum non poterat[1]) — Hist. 3, 26 sin Bedriacum *redirent*, intolerandus labor — 5, 11 longius ausuri et, si *pellerentur*, parato perfugio. —

Ut in unum locum condicionales sententias, in quibus inest *participium futuri*, congeram, nunc, quamquam omnes neque conjunctivum imperfecti neque potentialem habent, per occasionem eas afferam.

Participio enim futuri in persequenda brevitate sæpius pro universa primaria sententia utitur Tacitus; id quod prioribus inusitatum primum apud Livium[2]) inveniri et apud scriptores inferioris ætatis non rarum esse satis constat[3]). Exemplis, quæ congessit Dræger (Hist. 3, 19. — 56. — 4, 37. — Ann. 1, 36. — 2, 17), addantur hæc, quæ ad prioris ge-

[1]) Forsitan imperfectum pro condiciondali II positum sit: cfr Liv, 22, 24 nec acie certare Hannibal ausus (est), quia tanta paucitate vix castra, si *oppugnarentur*, tutari *poterat* (Lattm.-Müller pag. 255). — [2]) Kühnast pag. 267. — [3]) Stil d. Tac. § 195. — Madvig § 424. ann. 5.

neris similitudinem proxime accedunt: Ann. 1,45 si imperium detrectetur, bello *certaturus* — D. 2 gloriam *habiturus*, si — videretur — Ann. 2, 63 vide supra. — In his de re non facta agitur: Ann. 2, 17 illa *rupturus* (pro rupisset vel rupturus fuit), ni — objecissent — 3, 66 si rectum iter pergeret (pro plusqu.), ad clarissima quæque *iturum* festinatio extimulabat — Hist. 3, 54 ac si liceret (pro plusqu.), vere *narraturi* — 4, 39 haud *defutura* consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset[1]). Contra est Agr. 1, ubi participium pro secundaria enunc. condicionali positum est: quam (veniam) non petissem *incusaturus* tam sæva et infesta virtutibus tempora[2]).

3. Restat, ut consideremus enunciationes, in quibus aliquid, quod nunc non est vel erit, esse vel futurum esse cogitatur; in utraque enunc. condicionalis I adhibetur. Inveniuntur exempla: Ann. 2, 35 haud referrem, ni pretium foret[3]) — 2, 71. — 13, 21. —; Hist. 2, 77 filium adoptaturus *essem*, si ipse *imperarem* (nullo alio loca *essem* cum participio futuri conjunctum est; *es* Ann. 16, 22 frustra amovisti, si passurus es) — D. 1. — 41. — Apodosis non plene est scripta: Hist. 1, 15. — Ad aliud genus dicendi transitum est: Ann. 14, 44 si nunc primum statuendum haberemus, creditisne. — *Plus-*

---

[1]) Futuri participium in abl. abs. positum rarum est. Madvig § 428, ann. 3. — Etiam Hist. 2, 32. — 3, 56. — [2]) Ita Orelli, Ritter, Halm; Roth: ni cursaturus. Wex: incusaturus. Tam — [3]) *Forem*, quæ forma vix, nisi in condicionalibus sententiis et finalibus, idque raro, *numquam* in *compositis* verbi formis a Cicerone adhibetur, a Tacito multo frequentius quam *essem* usurpatur, adeo ut in enunc. condic. innumerabilia fere sint exempla formæ *forem*, perrara f. *essem* (in Dialogo); atque præcipue in compositis formis *forem* amat, semper in *plusquamperfecto conjunctivi* passivo verbo expresso (præter Ann. 12, 42). Cfr Heræum ad Hist. 1, 49. —

quamperfectum in protasi, in apodosi *imperfectum:* Ann. 13, 49.; Agr. 34. —; D. 4. — 10. — 42. —

Nonnumquam inveniuntur loci, ubi imperfectum aut in utraque enunciatione, aut in alterutra (rarius in apodosi) pro plusquamperfecto positum esse videtur (Cfr Autenrieth. pag. 25 ann. 3; Lattm.-Müller § 117). — Dræger (Stil d. Tac. § 197) hæc attulit exempla: imperfectum pro plusqu. in sola *protasi*: Hist. 3, 54 (vide supra) — 55 si dux alius *foret*, satis pollebant — 3, 56 si *consulerentur*, vera dicturis — Ann. 3, 66 — 11, 36 nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum *poteretur*. — Addantur hæc, quæ a Drægerio non observata ad similitudinem illorum proxime accedunt: Ann. 12, 37 si statim deditus *traherer*, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset[1]). — Hist. 2, 5 prorsus, si avarita *abesset*, antiquis ducibus par; egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solæ virtutes *miscerentur* — 91 grata sane et popularia, si a virtutibus *proficiscerentur* — 3, 62 procax moribus neque absurdus ingenio, ni famam per lasciviam *peteret*[2]). — In *utraque* enunciatione: Hist. 2, 62 si luxuriæ *temperaret,* avaritiam non *timeres* (Dr.) — Forsitan huc referendum sit: Ann. 15, 6 cui satis ad gloriam *erat,* si proximus *haberetur* (Cfr Orelli.). — In apodosi exspectatur *plusqu.*: Ann. 3, 49 si exstinctus foret, maiore præmio *vulgaretur* (in suspensa oratione).

Ab illis segreganda hæc exempla puto, in quibus condicionalis I ideo certe adhibetur, ut actio secundariæ sententiæ in præsentia continuari suamque vim exercere significetur; »sententia est gene-

---

[1]) Vide Orelli. — [2]) *Ni* addidit Halm; Orelli, Ritter, Heræus: famam — petere.

ralis» — »non tam quod tum factum sit, sed etiam quid *moris* sit, eo significatur». Agr. 2 memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate *esset* oblivisci quam tacere — 23 ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria *pateretur*, inventus in ipsa Britania terminus (*erat*, cfr Kritz.).

Priusquam ad reliqua, quæ de usu imperfecti disputanda sunt, progrediamur, sententiæ enumerentur, in quibus formæ *condicionalis II* insunt, ut deinde de iis, quæ in uno vel altero tempore huiusmodi sententiæ minus usitata habeant atque similia, eodem loco loquamur. — *Conjunctivus plusquamperfecti* in utraque enunciatione: Ann. 1, 39. — 2, 39. — 4, 13. — 12, 16. — 37. — 38. — 42. — 54. —; Hist. 1, 37. — 2, 14. — 66. — 3, 23. — 66. — 71. — 77. — 80. — 4, 34. — 5, 18. —; Agr. 16. — 26. — 37. —; D. 41;

In his locis apodosis aut ellipsin verbi habet, aut aliter conformata est: Ann. 4, 73. —; Hist. 1, 49. — 89. — 2, 68. — 3, 41. — 4, 39.

Haud scio an nulla re magis, quam illius generis sententiis a vulgari loquendi consuetudine discedat Tacitus; recteque observavit Boetticher[1]), rariora esse exempla tritis legibus accommodata. Sæpius enim *imperfectum indicativi* in apodosi ponit, quo actio aut re vera fuisse, aut incepta, aliqua ex parte facta (imperfectum »de conatu») significetur, quum e protasi *plusquamperfecti conjunctivo* expressa, eam ad eventum non perductam esse, appareat[2]). Atque in tria genera exempla describi possunt.

---

[1]) Lex. Tac. pag. 257. — [2]) Protasin priorem locum (Hist. 4, 18. — Ann. 1, 23. — 4, 71.) in ejusmodi sent. raro obtinere recte observavit Dræger, Stil d. Tac. pag. 73. — Ad. Ann. 1, 23.

a. Unum est genus eorum, in quibus ipsius verbi significatio ea est, ut non ipsam aliquam actionem, sed agendi *voluntatem, conatum* exprimat. Ellipsin, quæ in iis locum habet, ita supplere licet, ut cogitetur: »idque, quod parabatur, factum esset, nisi»[1]) — Interdum verbo subjectus est infinitivus. — Quamquam multa exempla Boetticher et Wex protulerunt, hoc loco denuo afferantur addanturque ea, quæ ab illis observata non sunt. (Alia *imperfecti de conatu* exempla ex aliis scriptoribus congesserunt Lattm.-Müller § 180, 2.; e Livio Kühnast pag. 213.) — Ann. 1, 23 ferrum *parabant*, — ni miles interjecisset — 2, 46 *sperabaturque* rursum pugna, ni Maroboduus — subduxisset — 3, 28 terror omnibus *intentabatur*, ni Tiberius — duxisset — 4, 71 ni mihi destinatum foret — referre, *avebat* animus antire statimque memorare — 11, 10 reciperare Armeniam *avebat*, ni cohibitus foret (int: et reciperasset, ni) — 13, 5 escendere suggestum imperatoris et præsidere simul *parabat*, nisi Seneca admonuisset — Hist. 4, 36 eadem *parabantur*, nisi — evasisset — Forsitan huc referendum sit locus Hist. 4, 18 si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno *imminebat*.

b. Alterum est genus eorum, in quibus tota actio primariæ sententiæ vere fuisse cogitatur; ellipsis ita suppletur, ut cogitatione nova aliqua apodosis addatur. (Huc ea quoque exempla, ubi aut imperfectum in sententiis relativis conjunctivo expressis invenitur,[2]) aut negatio inest, rettuli). Ann. 1, 23 ac ni — pernotuisset, haud multum ab exitio legati *aberant* (et eum interfecissent, ni —) — 1, 69 ac ni

---

[1]) Cfr Wex. pag. 38. — [2]) Cfr Dræger. Hist. Syntax pag. 255. — Nägelsbach. Latein. Stilistik pag. 268.

Agrippina prohibuisset, erant, qui *auderent* — Hist. 3, 81 nec deerant, qui *propellerent proculcarentque*, ni — omisisset (4, 13 excidium *adventabat*, si redintegratum bellum) — Ann. 2, 45 *præpollebat*, ni Inguiomerus — perfugisset — 4, 64 feralemque annum *ferebant*, ni Cæsar obviam isset — 6, 3 summum supplicium *decernebatur*, ni professus indicium foret.

Ann. 2, 10 ne flumine quidem interjecto *cohibebantur*, ni Stertinius — adtinuisset — 6, 36 nec ideo *abscedebat*, ni — fecisset — 12, 39 nec ideo fugam *sistebat*, ni legiones excepissent. Cfr Hist. 4, 15.

c. Tertium genus est eorum, quæ habent tale imperfectum, quod proprie appellatur de conatu; ellipsis ita cogitatione suppletur, ut forma ejusdem verbi in *conjunct. plusqu.* mutetur. Prædicatum significationem *movendi*, *eundi* habet. Ann. 1, 35 ferrum *deferebat* in pectus (int: et detulisset), ni proximi prensam dextram vi adtinuissent — 63 *trudebanturque* in paludem, — ni Cæsar productas legiones instruxisset — 65 *circumveniebatur*, ni prima legio sese opposuisset — 3, 14 effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac *divellebant*, ni — protectæ repositæque forent — 4, 30 *ibaturque* in eam sententiam, ni — conquestus esset — 16, 32 simul in amplexus occurrentis filiæ *ruebat*, nisi — Seneca admonuisset. — Cfr in suspensa oratione: Ann. 14, 55 ut *labaret* indicium, nisi Milichum uxor admonuisset — 16, 14 adeo, ut testamentum Antei nemo *obsignaret*, nisi Tigellinus auctor exstitisset —; Agr. 4. — 13, de quibus locis postea diligentius disputabitur.

Nonnumquam in apodosi *indicativus plusquamperfecti* usurpatur, quum actio primariæ enunciationis tamquam jam facta majore quodam vigore enunciatur, sed eam ad eventum non perductam esse e

conjunctivo enunciationis secundariæ apparet (Cfr Madvig. § 348. d. — Lattm.-Müller. § 179, ann. 4; maxime a poëtis, veluti Hor. Od. II, 17 [1]). — Ann. 6, 9 *contremuerantque* patres, ni Celsus Appium et Calvisium discrimini exemisset — Agr. 37 circumire terga vincentium *coeperant,* ni id ipsum veritus Agricola — opposuisset. Illa plusquamperfecta re vera imperfecta esse dicit Wex [2]). — Ann. 4, 9 ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium *impleverat* (int.: hade verkligen uppfyllt, och det skulle så förblifvit, om) — 6, 43 ac si — petivisset, *oppressa* (subauditur: erat) — 11, 37 ac ni cædem eius Narcissus properavisset, *verterat* pernicies in accusationem — 15, 8 gloriæque et prædæ nonnihil *partum*, si — habuissent — 37 nihil flagitii *reliquerat*, nisi — denupsisset — 50 animum *exstimulaverant*, nisi impunitatis cupido retinuisset. — In Historiis duobus locis: 3, 15 auxilia Vitellius *acciverat*, — ni Antonius victoriam præcepisset — 27 *incesserat* cunctatio, ni — monstrassent —. — *Prope* cum perfecto indicativi coniunctum uno loco inveni: Hist. 1, 64 *prope* in proelium *exarsere*, ni Valens — admonuisset; (cum conj. D. 32 poene dixerim) — [3]).

Nonnulla verba et locutiones in *indicativo* modo legitime poni solere, satis constat. Nam in primaria sententia, quum condicio in *condicionali I* posita est adjuncta, usurpatur *indicativus imperfecti*, quum

---

[1]) Hujus loquendi usus nonnulla e Livio exempla congessit Kühnast, pag. 226. — [2]) Proleg. pag. 38. — [3]) Præteriens moneo, locum Agr. 16 *quam restituit, ni — consuleret* (vide Dræger. Stil d. Tac. pag. 73) nunc esse mutatum; Ritter, Halm, Kritz: *ne* pro ni. — Wex *ni* tuetur; copiosius de h. l. disputavit in Proleg. pag. 34 sequ. — Antecedit *timor agitabat*, ex quo *ne* recte scribi intelligitur.

exprimitur id, quod *officii*, *possibilitatis* est, quod *decet*, sed non fit (*debebam*, *decebat*, *poteram*; *eram* cum *gerundivo* vel *adjectivo neutrius generis* conjunctum). *Indicativus perfecti* tum usurpatur, quum condicio in *condicionali II* est posita, quo exprimitur id, quod officii cet. fuit, sed non factum est. Consequens quasi a condicione solutum et sui juris esse cogitatur (Madvig § 348). Primum exempla verbi *posse*, quæ apud Tacitum inveni, afferantur. Nostro conjunctivo plusqu. respondent: Hist. 3, 9 quodsi adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duæ legiones, nondum conjuncto Moesico exercitu, *potuere*, aut — conscivissent — 4, 34 quem si statim impellere cursumque sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu *potuit*. Agr. 31 ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum *potuere* — D. 17 ita si eum — vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, æque idem et Cæsarem ipsum et Ciceronem audire *potuit*. Illi loci vulgari loquendi consuetudini accommodati sunt. Sunt tamen duo, ubi *imperfectum* indicativi nostro *plusquamperfecto conj.* respondet, id quod multo rarius est[1]): Ann. 15, 10 retineri castra et eludi Parthus tractu belli *poterat*, si Pæto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset. — Hist. 4, 19 et opprimi *poterant*, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent. — (De loco Ann. 14, 3 vide supra). —

---

[1]) Duo etiam apud Livium; vide Johanson: »de usu modorum in verbis debere, posse, simil. in primariis sententiis condic. pag. 34. — Dræger contendit, *poteram* præcipue de præterito tempore dici; »zweitens aber auch von der Gegenwart». Hist. Syntax pag. 271. —

Illa verba in *conjunctivo* nonnumquam ponuntur, quum ipsum *officium*, *possibilitas* cet. non esse significantur[1]). — Semel verbum posse in *conjunctivo* positum est: Hist. 3, 40 et si coeptum iter properasset, nutantem Cæcinam prævenire aut ante discrimen pugnæ adsequi legiones *potuisset* (Sic præcipue in sententiis negativis vel interrogativis. Hist. Syntax pag. 273). — In *Infin.* perfecti: Hist. 2, 26 deleri — *potuisse,* ni Suetonius Paulinus receptui cecinisset. — Nullo loco verbum posse nostro *imperfecto* respondet. —

Eram cum adjectivo conjunctum ita, ut nostro *conjunctivo imperfecti* respondeat: Ann. 1, 42 si Hispaniæ Suriæve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum *erat* — 15, 6 cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur (vide tamen supra condic. I). — Hist. 1, 15 si te privatus adoptarem, et mihi egregium *erat* — et tibi insigne — 16 si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, *dignus eram*[2]). — *Debere:* Hist. 5, 26. Si apud Vitellium legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides *debebatur.* In obliqua oratione: 4, 85 si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse. — Cfr Ann. 11, 36.

In protasi *indicativum plusquamperfecti,* cum *imperfecto indic.* i apodosi conjunctum, quum actio secundariæ sententiæ ante actionem primariæ facta et sæpius repetita significanda sit, constanter et sæpe adhibet Tac.; cujus quidem usus jam supra

[1]) Lattm.-Müller § 180 ann. 2. Commodius *possem* de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius, scriba meus, adesset, fam. 5, 20 (int.: *non possum.*) — [2]) Cfr Dræger. Stil d. Tac., pag. 73.

mentio facta est. Quod docent Grammatici præeunte Livio[1]) recentiores rerum gestarum scriptores *conjunctivo* plusquamperfecti pro indicativo uti solere (»der conjunctiv schien nur noch deutlicher bezeichnen, dass die iterative Bedeutung des Imperfect auf ihn übertragen werden solle»), in Tacitum plane non valet, nisi in enunciationibus vere temporalibus, et tum sæpe exempla indicativi occurrunt (vide quæ supra de usu modorum post particulam *ubi* prætereuntes exposuimus): Ann. 1, 32 et si qua alia præsens usus *indixerat*, ipsi *partiebantur* — 44 si nocentem *adclamaverant*, præceps datus *trucidabatur;* si tribuni, si legio industriam innocentiamque *adprobaverant*, *retinebat* ordinem (sequitur: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu *objectavissent*, solvebatur militia[2]).) — Hist. 3, 83 (quotiens pars altera *inclinasset*, abditos in tabernis) aut si quam in domum *perfugerant*, erui jugularique expostulantes parte majore prædæ potiebantur — Ann. 4, 63 et sæpe certamen, si confusior facies — errorem adgnoscentibus *fecerat* — 6, 21 et regredientem, si — suspicio *incesserat*, in subjectum mare *præcipitabat*. — Hist. 2, 94 si ita *maluerat*, urbanæ militæ *adscribebatur*. — Semel cum *infinitivo historico* indic. plusqu. conjunctus est: Hist. 4, 1 si quem *conspexerant*, *obtruncare*.

Indicativus plusqu. in protasi, perfecti in apodosi: Ann. 13, 33 si quos imbellis sexus — atti-

---

[1]) 8, 8. Si apud principes quoque haud satis prospere *esset pugnatum*, a prima acie ad triarios sensim *referebatur*. — [2]) »Dem nachklassischen Principe der stilistischen Abwechselung entsprechend, folgt hier auf *si* mit dem Ind. *ubi* mit dem conj. der Wiederholung. Cfr 11, 28. — 4, 17». Dræger, (Ann.) — Quum sententiæ per *si* — *ubi* (*quotiens* tal.) inductæ componuntur, numquam contraria fit ratio ita, ut post *si* ponatur *conjunct.*, post *ubi indicativus plusqu.*

nuerat, ab hoste oppressi sunt. Hist. 4, 65 — Ann. 6, 43. — In suspensa oratione sæpe, veluti Ann. 13, 40. —

Sequitur, ut sententias, quæ in protasi *perfectum* habent, (quod tempus rarius omnino in usu apud Tac. est) quales sint, consideremus. Primum igitur nonnulla exempla sunt, maxime in minoribus libris, ubi per indicativum perfecti cum præsentis indicativo in apodosi conjunctum actio secundariæ enunciationis tempore antecedere et sæpius repetita significatur (Antecedens iterativum): Ann. 4, 33 vel si *evenit* (consociata reipublicæ forma), haud diuturna *esse potest* — 38 nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium *vertit*, pro sepulchris *spernuntur*. — Hist. 2, 76 si quid miles — *habuit*, *deteritur* — G. 10 si *prohibuerunt*, nulla — consultatio (int.: *est*); sin permissum, — *exigitur* — 11 *coeunt*, nisi quid fortuitum *incidit*[1]) — *si displicuit*, —, — *aspernantur;* sin *placuit*, *concutiunt* — 16 et si quando hostis *advenit*, aperta *populatur* — 39 si forte *prolapsus est*, — haud licitum — D. 5 sin proprium periculum *increpuit*, non (int. *sunt*). — 20 nisi — *invitatus* et *corruptus est*, *aversatur* — 29. Cfr in suspensa oratione Hist. 2, 76. — D 25 al. — De singulis rebus Ann. 3, 12 — Hist. 4, 58. — Agr. 3. — D. 25. —

---

[1]) Etiam forma *inciderit* in aliquot codd. — G. 21 abeunti, si quid *poposcerit* (variant codd.), concedere moris (int: *est*). In recentioribus editionibus solus hic locus conjunctivum in hujusmodi sentent. exhibet. Perfectum conjunctivi iterationis causa inusitatum non esse commemorat AUTENRIETH pag. 33, nullum tamen attulit exemplum. — De modis post *ubi* vide Autenrieth. et Heræum ad Hist. 1, 10. —

Altera persona conjunctivi (»meist als conj. Futur. exact. neben fut. Ausdr. im Hauptsatze», Lattmann-Müller § 108 ann. 3): Ann. 3, 54 si prohibita *transcenderis*, neque metus ultra neque pudor *est* (antecedit: si *velis* — *timeas*) — Cfr Ann. 13, 21 ac si Plautus aut quis alius rempublicam judicaturus *obtinuerit*, *desunt* scilicet mihi accusatores, qui — objiciant (»desunt quasi pro futuro, tamquam jamjam parati essent» (Orelli) — 1, 58 ut — simul genti Germanorum idoneus conciliator, si poenitentiam quam perniciem *maluerit*. — *Perfectum indicativi* in *utraque* enunc. duobus locis inveni: Ann. 4, 35 aut si quis *advertit*, dicta dictis *ultus est* — Hist. 1, 16 *impletum est* omne consilium, si te bene *elegi*.

Perfectum indic. in protasi cum *futuro I* in apodosi conjunctum: Ann. 3, 12 nam si legatus — *exuit*, eiusdemque morte et luctu meo *lætatus est*, *odero seponamque* 14, 64 neque tamen *silebimus*, si quod senatus consultum postremum *fuit* — 15, 2 si cunctatione *deliqui*, virtute *corrigam* — D. 3 quod si qua *omisit* Cato — Thyestes *dicet* — 42. — Uno loco in apodosi est *imperativus*: Ann. 3, 12 si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos *dedit*, — *juvate* periclitantem. —

Restat, ut de usu *futurorum* pauca exponamus. Primum afferantur sententiæ, quarum in secundaria enunciatione *fut. II*, in primaria *fut. I.* invenitur: Ann. 2, 38 si *coeperint*, numquam *exsatiabuntur* — ibid. quod si ambitiose *exhauserimus*, per scelera *supplendum erit*. — 3, 24. — 54. — 12, 37. — 13, 20. — 14, 56 non tua moderatio, si *reddideris* pecuniam, nec quies, si *reliqueris* principem, sed — *versabitur* (varietatis studio, credo, adductus, sic T. pergit:

quodsi maxime continentia tua *laudetur*, non decorum *fuerit* — recipere) — 16, 22 —; Hist. 3, 20. — 4, 48. — 58. —; G. 23. —; D. 9. — 28. — *Præsens* in apodosi: D. 18 agere enim fortius jam et audentius *volo*, si illud ante *predixero.* — De locis Ann. 3, 54. — 13, 21 vide supra. — De *præsentibus* pro fut. in secundariis sent. positis supra est dictum. — Nullo loco certum *futuri I* exemplum in protasi inveni; — *erit* omissum est: Ann. 2, 38 intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes —. D. 27. *Bekkerus* (vide Orelli.) et *Weise:* nec — decebit, si quid forte aures vestras perstring*e*t (Alii — *at:* etiam-*it* codd. exhibent). — Ann. 1, 74 si primus, habebo; si post omnes —; ex antecedente forma *censebis* auditur *censebo.* — Neque duo *futura II* conjuncta observavi. —

Quum ad finem perducta sint, quæ de condicionalibus enunciatis in obliqua oratione non positis disputata volebamus, proximum est, ut quo modo se eæ habeant, quum obliquæ orationi insertæ sint, consideremus. — Primum igitur inter omnes maxime memorabilis hic locus est, ubi formulæ *nisi forte* subjicitur infinitivus; id quod apud alium Romanorum scriptorem non inveniri commonet Dræger (Stil d. Tac. § 147)[1]: Ann. 2, 33 distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut, sicut locis ordinibus dignitationibus antistent, ita iis quæ ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, *nisi forte* clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum *carendum esse.* —

---

[1]) "Græcismus" est; cfr *Herodot.* 3, 105. — *Thucyd.* 4, 98. — Vide: Ferdinandi *Handii* Turselinus seu de particulis latinis commentarii. 2, pag. 738. — 4, pag. 225.

Deinde duos locos explicemus, de quibus ii, qui in scriptis Taciti versati sunt, copiose disseruerunt: Agr. 4 Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in juventa studium philosophiæ acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, *hausisse*, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum *coërcuisset*. — 13 *Agitasse* Gaium Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili poenitentiæ, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra *fuissent*. Ut prius exemplum consideremus, legitimam formam rectæ orationis apud Ciceronem esse *hausissem*, commoneamus, quæ si in obliqua or. ponatur, *hausturum fuisse* fiat necesse est[1]). Exemplis autem, quæ multa supra allata sunt, videre licet, in apodosi, quum condicio rei non factæ addita sit, aut *imperfectum* ("de conatu") aut *plusquamperfectum indicativi* sæpe adhibere Tac. Agricola si dixit: *hauriebam* (haurire coeperam), cogitatione alia addenda est apodosis: "et in eo studio perrexissem" (Kritz) vel "et toto animo imbibissem" (Wex); et in obl. or. ex *hauriebam* oritur *hausisse*[2]). — Alterum exemplum facilius ad intelligendum est; neminem enim præteribit, formam rectæ orationis hanc esse: "*agitabat*" de intranda Br. (int: et intrasset), ni —. Ex iis, quæ exposita sunt, concludere licet, locos illos ad similitudinem proxime accedere eorum, quæ in recta or. posita supra attulimus. Quod

---

[1]) *Lattm.* — *Müller* minus caute egisse videntur, quum dicunt: "zuweilen ist jedoch statt der etwas umständlichen periphrastischen Form der *Infin. Perfecti* gesetzt". Neque enim sic infin. usurpatur; atque aliud est *potuisse* (Hist. 2, 26), *debuisse* (Hist. 4, 85), quæ formæ *perf. indic.* or. rectæ respondent. — [2]) *Wex* de h. l. copiose disputavit; primo infinitivum formæ rectæ orationis *hauseram* respondere censuit; quam sententiam postea retraxit, quod: "qui aliquatenus hausit, de eo numquam dicunt Latini *hauserat*". —

quo facilius intelligatur nunc locos afferre libet, quorum formæ *conjunctivo plusquamperfecti* rectæ or. respondent: Ann. 14, 29 quippe multa in Neronem adulatione addidit *subjecturum* ei provinciam *fuisse*, si biennio proximo vixisset — 15, 35 *victurum* tamen *fuisse*, si clementiam judicis exspectasset. Nonnullis locis *fuisse* omissum est (Ann. 2, 31. — 73 al). Cfr Ann. 3, 53 quodsi mecum ante viri strenui, ædiles, consilium habuissent, nescio an *suasurus fuerim* — Hist. 1, 26 dissimulatio fuit, ut — Othonem *rapturi fuerint*, ni — timuissent. —

Sententiæ sæpius obviam sunt, quarum secundaria enunciatio ex indicativo aliquo, participio vel ex alia verbi forma dependere illa quidem videtur, re tamen vera ex *infinitivo* aut ex alia quadam apodosi, quæ cogitatione facile additur, suspensa est (Cfr Madvig. § 348, e. ann. 2. Cic. Verr. 2, 67 Metellus Centuripinis, nisi statuas Verris restituissent, graviter minatur = minatur, se iis malum daturum, nisi). Neque vero Tacitus in talibus enunciatis secund. præsentia tempora adhibet; ubique enim conjunctivum aut imperfecti aut plusqvamperf. ponit. Contra in continua oratione obliqua præsentia tempora frequentissime usurpantur. Prioris generis exempla sunt: Ann. 1, 35 et si vellet imperium, promptas res ostentavere — opposuerunt abeunti arma, minitantes (se eum interfecturos esse), ni regrederetur -- 2, 13 si quis transfugisset Arminii nomine pollicetur — 22 bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni properavissent — 42 clementiam offerebat, si ad precandum veniret — si crederetur, vim — metuens — 64. — 88. — 3, 3. — 15. — 4, 60. — 69. — 11, 37. — 12, 12. — 29. — 13, 18. — 50. — 53. — 54. — 56. — 14, 57. — 62. — 15, 36. — 51. —

52. —; Hist. 1, 22. — 28. — 75. — 2, 19. — 95. — 3, 7. — 69. — 4, 8 metu invidiæ, si ipsi eligerentur — 4, 59. — 72 metu infamiæ, si — crederentur — 83. — 5, 18.

Fieri solet, ut in obl. or., quamquam per præteritum inducta est, pro imperfecto *præsens* adhibeant rerum gestarum scriptores, pro plusquamperf. *perfectum*, quam consuetudinem ab ætate Cæsaris percrebruisse satis constat[1]). Atque quum Livius[2]) aliique innumerabilia fere exempla præbeant varientque tempora in eadem oratione, Dræger (pag. 215) recte dixisse mihi videtur, scriptores præcipue studio quodam variandi commotos diversis temporibus uti solere[3]). Neque tamen fieri potest, quin præsentia et perfecta, ut melius intelligatur condicionem rei veritati non oppositam esse, interdum usurpata sint. Et de Tacito quidem hoc tantum Dræger dicit: "auch Tac. hat diese Form der Repræsentation nicht selten, z. B. Ann. 2, 77". Frequentissime autem eum præsentibus temporibus uti antequam ostendamus, exempla varietatis temporum, quæ in una eademque oratione inest, afferantur; addendum est, quod, sicut post præteritum, quo or. inducitur, præsentia et perfecta, ita post præsens hist. præterita sequuntur[4]). Sæpe tamen est verbum, e quo or. obl. dependet, omissum: Ann. 1, 17 (interrogabat) nisi — adirent; si quis — superaverit; si — iniretur — 19 (ait) si — tenderent, quæ — expostulaverint, cur — meditentur — 3, 34 (respondit) si femina mo-

---

[1]) "Dergleichen Præsentia fehlen bei Cic.; dagegen kommt der conjunctiv des Perfects vor". Hist. Syntax pag. 213.

[2]) Vide KÜHNAST. pag. 219 sequ.

[3]) Cfr etiam: LUPUS: Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos. Berlin 1876 pag. 135. —

[4]) Cfr Lupum, l. c.

dum excedat; quid fore, si — obliterentur? si ita conducat, alias ad gentes iturum; — æquo animo, si divelleretur — 11, 23 (certabatur, adseverantium) an parum (esse), quod — inruperint, nisi — inferatur? — aut si quis — senator foret[1]); quid si memoria oreretur, qui — manibus eorundem periissent?[2]) — Hist. 5, 25 (sermones orti) — nisi accirentur? si — navaverint; — sin — vocent.

Quantopere tempora et ordo enunciationum varientur quo facilius intelligamus, exempla ita, ut comparari possint, disposita afferuntur. (Nonnulla, quæ ellipsin verbi habent, consulto omisi, et ea, quæ particulâ *sin* inducuntur, et ea, quæ verbum, e quo pendent, in ipsa periodo positum habent).

Enunciationes condicionales in obliqua oratione positæ:

Protasis priorem locum obtinet.	Protasis posteriorem locum obtinet.	Protasis priorem locum obtinet.	Protasis posteriorem locum obtinet.
1. Apodosis habet infin. præsentis.			
Protasis *imperfectum* habet:		Protasis *præsens* habet:	
Ann. 1, 36. — 67 (quodsi). — 2, 26. — 65. — 76 (quodsi).	*Ann.* 1, 78. — 81. 2, 83. — 3, 6. — 4, 28. — 6, 2. — 12, 65. — 13, 37. — 14, 62.	*Ann.* 2, 5. — 12. — 14. — 14. — 3, 33. — 4, 2. — 4. — 43 (quodsi). — 15, 1. — 16, 22. — *Hist.* 1, 21. — 32. — 3, 2. — 2. — 4, 17. — 75. — 76 (quodsi). — 81. — 5, 25.	*Ann.* 1, 29. — 2, 2. — 3, 34. — 6, 22.
Pr. b). *plusquamperf.*		Pr. b). *perfectum.*	
	Ann. 16, 28. — (4, 24).	*Ann.* 1, 17. — *Hist.* 5, 25.	

---

[1]) Orelli: senator, fore. — [2]) Locus est corruptus: alii aliter legunt; Madvig (Advers. critica, pag. 550): manibus deorum depulsi sint.

2. Apodosis infinitivum futuri habet.			
Pr. a. *imperfectum.*		Pr. a. *præsens.*	
Ann. 2, 33. — 38. 70. — 6, 30. — 34. 13, 27. — 38. — 15, 59. *Hist.* 1, 54. — 2, 1. — 44. — 4, 20.	*Ann.* 1, 17. — 28. — 2, 63. — 4, 46. — 11, 26. — 15, 24. — *Hist.* 4, 81. — *Agr.* 24.	*Ann.* 1, 29. — 48. 2, 77. — 77. — 3, 34. — 4, 17. — 11, 6 (quodsi). — 12, 41. — 14, 61. *Hist.* — 3, 19 (quodsi) — 4, 55. — 5, 24.	*Ann.* 3, 34. — 4, 2. *Hist.* 2, 75.
Pr. b. *plusqvamp.*			
Ann. 2, 85. — 14, 58. — *Hist.* 2, 32. — 3, 64. — 81.	*Ann.* 1, 79. — 3, 14. — 4, 40. — 14, 20. — 15, 60. — *Hist.* 4, 52.		
3. Apodosis infin. perfecti.			
Pr. a. *imperf.*		Pr. a. *præsens.*	
Ann. 11, 16. — 13, 23. — *Hist.* 4, 85.	*Ann.* 3, 58. — *Agr.* 39.		*Hist.* 3, 24. — 53. — 5, 25. — *Agr.* 15.
b. *plusquamp.*			
Ann. 3, 58. — *Hist.* 4, 32.	(*Agr.* 4. — 13).		
4. Apodosis gerundivum infin. præs.			
Pr. *imperf.*		Pr. *præsens.*	
Ann. 13, 49 (quodsi). — 14, 35.		*Hist.* 1, 33. — 56. — 3, 20. — 84.	

Perfectum pro plusqu. etiam: Ann. 14, 3 et si naufragio *intercepta sit*, quem adeo iniquum. — Hist. 4, 17 nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit. — De *perfectis* conjug. periphr. jam supra est dictum.

Ex exemplis, quæ allata sunt, hæc judicare licet: *Protasis*, quum *præsens* habet, *priorem* locum obtinere solet, si apodosis infinitivum vel *præsentis* vel *futuri* habet [1]). Contra: Protasis, quum *imperfectum* cum infinitivo *præsentis* conjunctum habet, tum po-

[1]) Haud dubium est, quin studio locorum alternandorum commotus protasin posteriore in loco insolentius collocaverit T. Ann. 3, 34. — 4, 2. Legitur enim: 3, 34 *quid fore, si — obliterentur,* et paullo infra: *si ita conducat, — iturum;* 4, 2 *si quid ingruat, — subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur.*

steriorem locum; cum infinitivo *futuri* conj. modo priorem modo posteriorem locum obtinet.

Ac si exempla diligentius conferimus, evidentiorem esse constantiam Historiarum quam Annalium, facile videmus, ita ut et ubique fere in illis *præsens* pro imperfecto ponatur, quum apod. infin. *præsentis* habet, et protasis priorem periodi locum obtineat; in his contra crebrior est et temporum et locorum varietas. — In eadem periodo post *si — sin; si — si* tempora interdum variantur ita, ut aliquid verisimile esse per præsens significetur, per imperf. condicio rei veritati opponatur: Hist. 4, 20 si nemo *obsisteret*, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros — 75 si Cerialis imperium Galliarum *velit*, ipsos finibus civitatium suarum contentos; si — malit[1]), ne id quidem abnuere —. Cfr tamen: Hist. 2, 28, ubi haud scio an contraria ratio sit: si provincia urbe et salute imperii potior *sit*, omnes illuc sequerentur[2]): sin victoriæ — columen in Italia *verteretur*, non abrumpendos.

Jam vero ut condicionales particulæ quomodo per se adhibitæ sint, consideremus, particulam *sin* non antecedente *si* nonnullis locis positam reperi; *quinquies* in Ann. 6, 46. — 11, 19. — 12, 53. — 13, 37. — 16, 25; *semel* in Hist. 3, 26; in minoribus scriptis nullum inveni locum. — Post *mirum* positum est *si*,

---

[1]) Orelli, Ritter, Heræus: *mallet;* "verum consulto Tac. variavit tempus, quo significaret Civili et Classico minus probabile fuisse, fore, ut C. proelium mallet" (Or.)

[2]) *Præsens* conjunctivi in protasi, in apodosi *conj. imperativus imperfecti* etiam Ann. 14, 61. — Hist. 3, 70. — Crebrior est *imperfecti* in *utraque* enunc. usus: Ann. 1, 59. — 2, 26. — 4, 39. — 14, 1 (Orelli, Ritter, Weise h. l. in apodosi *præsens* habent, quod haud scio an nullo loco sic usurpaverit Tac.) 14, 38. — Hist. 1, 41. — 65; *plusqu.* in protasi: Ann. 2, 85. — 14, 8.

etiam prioribus usitatum: Ann. 12, 37 quid *mirum*, si hæc invitus amisi? Illi loco, quem protulit Dræger, addantur: Ann. 4, 40 *mirum* hercule, *si* — habuit — 54 non *mirum* ait, *si* quid severius in eam statuisset. — *Si* post *metus, territus* vide Stil. d. Tac. § 191.

A veritate SPITTA[1]) aberravit, quum dicit: "monuerim, etiam ante *si* poni plerumque *ac;* opinor, ne ambiguitas quædam nasceretur (etsi); ceterum *et si* legitur Ann. 13, 37 — 14, 3". Etiamsi eos locos, ubi particulæ interposito commate distractæ sunt, prætermittas, multo sæpius *et si* invenitur. In libro Ann. I *quinquies* inveni *et si* scriptum; in II *bis*, in III *semel;* in illis libris *ac si* semel (1, 17); in libro VI *et si* quattuor locis, *ac si* uno (43). — In Historiis, sive omissum est comma, sive interjectum, amplius *quindecim* locis *et si, sex* locis *ac si* invenitur. — Aliter particulæ *ac ni* se habent, quæ in Ann. *ubique* conjunguntur. In Hist. aliquot locis *et ni* (3, 52. — 69. — 80); (*ac nisi* Ann. 3, 54. — 12, 41. — Agr. 31), quam rem Spitta non attigit.

Quale inter particulas *nisi* et *ni* intercedat discrimen [2]), non attingens, commemoratum velim, sæpe numero *ni*, pro *nisi*, in sententiis *conjunctivo* expressis a Tacito usurpari. — *Semel* subjicitur *indicativus* [3]): Ann. 11, 30 ac *ni* propere *agis*, tenet urbem maritus; præsentia pro futuris, vide supra. Ad *decies* cum conjunctivo *præsentis* (præter Hist. 1, 83.

---

[1]) "*De Taciti in componendis enuntiatis ratione*". Scripsit Philippus Spitta. Gottingæ MDCCCLXVI (de particulis copulativis et adversativis disputat). *Handium* (2, pag. 608) secutus esse videtur, qui magnam esse copiam exemplorum *et si* negat contenditque, scriptores antiquos diligentius providisse, ne ambiguitate offenderent. — [2]) Hand 4, pag. 187 sequ. — [3]) Cfr KÜHNAST. pag. 243.

— 3, 86 ubique in obliqua or.[1]); non multo sæpius cum *imperfecto*[2]), sæpissime, circiter *quinquagies*, cum *plusquamperfecto*. — Quod docet Hand[3]), propriam sedem *ni* obtinere in sententiis, quibus minæ atque vehemens indignatio exprimatur, quod quidem ita comprobare conatur, ut exempla quum ex aliis scriptoribus tum e Tacito congesserit: Ann. 13, 56 excidium *minitans, ni* — dissociarent — 1, 35 *minitantes, ni* regrederetur; quibus equidem addo: Hist. 1, 75 *exitium* — *minitans, ni* — *servarentur*, minus videtur certum, si in comparationem adhibeas Ann. 13, 54, ubi legitur: *minitando* vim Romanam, *nisi* abscederent Frisii; ibi, quod sciam, non discrepant codd. (Hand addidit, *ni*, non *nisi*, in talibus locutionibus codd. exhibere).

Vix commemorandum est, sicut veteres scriptores, ita Tac. in sent., in quibus ob exceptionem requiratur *nisi*, numquam usurpare *ni*. Atque sæpissime *nisi* post particulas negativas positum est *neque, nec* (quod nullo interposito vocabulo semper adhibetur, *numquam: neque nisi*), *nullus, ne* — *quidem, neve, nusquam* cet., post interrogationem *negativam*. — Nonnullis locis, quasi negatio antecederet: Ann. 1, 36 ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis — (2, 69 vetitis nisi permissu ingredi senatoribus) — 13, 51 militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent — 15, 12 se nisi victoribus immitem esse (i. e. se fugitivis immitem; non nisi victoribus mitem esse). — Hist. 4, 50. — Cfr Hist.

---

1) Ann. 1, 29. — 48. — 4, 17. —; Hist. 3, 19. — 84. — 5, 25.

2) Ann. 1, 35. — 2, 35. — 12, 42. — 13, 56; Hist. 1, 75. — 2, 83. — 3, 52. — 62. — 69. — 4, 7. — 83. — 5, 11. — Nullo loco cum præsenti vel imperfecto in minoribus scriptis conjunctum est; cum *plusquamperf.* bis Agr. 4. — 13 (hausisse, ni —; agitasse, ni).

3) 4, pag. 193.

4, 16 ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant (omissum, credo, est: *essent;* vide Hist. Synt. § 143).

Particulæ *non nisi* contra consuetudinem veterum apud scriptores argenteæ ætatis nullo interposito vocabulo componuntur [1]): Ann. 2, 26 qui nullo tum alio hoste hoste *non nisi* apud Germanias adsequi nomen — posset. — 4, 25 *non nisi* duce interfecto — 68 ad quem *non nisi* per Seianum aditus — 6, 49 effugium *non nisi* morte inveniret — 14, 1 *non nisi* filio infestam — 44 conluviem istam *non nisi* metu coercueris — 63. —; Hist. 1, 58. — 2, 33. —; G. 14 — (In scriptis, quæ prima Tac. edidit, Dial. et Agr., nullum exemplum inveni). — Uno vel paucis interpositis vocabulis sæpius veluti Ann. 3, 5. — 12, 3. — 13, 32. — Hist. 3, 66. — Agr. 43. — *Nisi* cum *participio perfecti* antecedente negatione conjungitur: Ann. 11, 18. — 12, 3. — 13, 35. —; Hist. 1, 37. — 38. — D. 41. — Cum *abl. abs.*: Ann.: 2, 11. — 65. — 3, 24. — 4, 25. — 12, 32. — 15, 69. —; Hist. 1, 53. — 3, 66. — (Cfr. Madvig § 428 ann. 2). — [2]). —

Nisi forte, quæ formula duplicem habet usum ita, ut aut sententiam, quæ antecedit, aliqua ex parte mitiget et tollat, aut per ironiam dicatur, quum per id, quod incredibile opponitur, primaria sententia confirmatur, nonnullis locis inveni; ibique ironice dictum, quod mirandum non est, præsertim quum *nisi vero*, quod semper ironice adhibitum Ciceroni usitatissimum est, apud Tacitum non exstet [3]). — Ann. 2, 33. — 3, 35 *nisi forte* rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum

[1]) Hand 4, pag. 251. — [2]) Contra in his locis, ubi protasis plene expressa ex abl. abs. pendet: Ann. 4, 19. — 60. — 6, 17. — 11, 12. — 12, 32; Hist. 3, 56. — 72. — 4, 39. — 5, 11. — [3]) Hand 4, pagg. 231, 233.

vices, ita morum vertantur — 14, 56 *nisi forte* aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio postponis ("amarissima est sententia". Orelli). — Hist. 3, 66 *nisi forte* Vespasianus altiores spiritus gerat (in obl. or.) — 4, 74 *nisi forte* — speratis. — D. 21 *nisi forte* quisquam — legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. — *Nisi* pro nisi forte usurpato *conjunctivus* subjectus est: Ann. 13, 31 pauca memoria digna evenere, *nisi* cui *libeat* laudandis fundamentis et trabibus — volumina implere.

Nisi si, quæ vocabula Latinos cujusvis ætatis, sæpius recentiores, conjungere commemorat Hand (pag. 442), nonnumquam T. usus est, *uno* loco ironice: Agr. 32 *nisi si* Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque fide et adfectu teneri putatis. Wex alterum si delendum existimat, quia *nisi si* quum dicatur, semper id, quod positum sit, fieri posse cogitetur[1]); id quod e ceteris, quæ apud Tac. inveni, exemplis concludere licet. Ann.: 6, 25 cum de Agrippina auditum, voluntate exstinctam, *nisi si* negatis alimentis adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus — 15, 53 *nisi si* cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est — G. 2 Quis Germaniam peteret, informem — asperam, *nisi si* patria sit (hoc solum est *conjunctivi* post *nisi si* positi exemplum).

Nisi quod, qua formula utuntur Latini ad significandam exceptionem, qua primaria sent. non tota tollitur, sed apponitur aliquid, quod eam restringat, sæpius apud Tac. invenitur. Sunt, qui dicant *nisi quod* in significationem adversativæ particulæ abis-

---

[1]) Proleg. pag. 69. — *Hand* multis exemplis, undique collectis, *nisi si* ironice dici, ostendere conatur. Sæpe tamen incertam esse scripturam codd. confitetur.

se; alii ellipticam esse dicendi formulam existimant[1]. Quoquo modo explices, in ea sententia, quæ universe est enunciata, unum vel pauca vocabula (aut interdum totam sent.) restringi, facile apparet (Cfr Wex. pag. 121). Exempla, ubi antecedit negatio, hæc sunt: Ann. 1, 8. — 16. — 3, 1. — 6, 24. — 11, 24. — 14, 40. — 16, 7. —; Hist. 3, 28. —; G. 9. — 17. — 29. — 40. — In omnibus locis Ann. (præter 1, 8) *imperfectum*, Hist. 3, 28 *perfectum;* in G. ubique *præsens indicativi* usurpatum est. Ad alia ex. consideranda progrediamur: Ann. 1, 33 atque ipsa Agrippina paullo *commotior* erat, *nisi quod* castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat. Ad h. l. Roth: »er kann durch *nisi quod* nicht das einschränken wollen, dass A. commotior gewesen sei; man muss hindenken: und fehlte damit auch von ihrer Seite». Melius simpliciusque: »*comm.* fuit, sed ita, ut non ad facinora abripi se pateretur» (cfr Wex.) = sed. — 2, 19 silvas quoque profunda palus *ambibat*, *nisi quod* latus unum Angrivarii lato aggere extulerant — 3, 57 *solita censerent*, *nisi quod* M. Silanus — honorem principibus petivit — 68 *eadem ceteri, nisi quod* Cn. Leutulus — dixit — 4, 52 *prosperiore eloquentia, nisi quod* — ætas dempsit — 12, 16 *munitam, nisi quod* moenia invalida erant — 14, 14. — Hist. 4, 39. — G. 25 (servum) occidere solent —, *ut inimicum, nisi quod* impune est (i. e. inimicum occidere non impune est, at servus impune occiditur. Kritz). — Agr. 6 vixerunt *mira* concordia, per mutuam caritatem

[1]) Cfr Stil d. Tac. § 199. — Hand. 4, pag. 234. — Roth. Agr. pag. 255. — Moneo, quod observavit Spitta (pag. 151, 147). particula *verumtamen* nullo loco, *attamen* duobus locis Tacitum esse usum.

et invicem se anteponendo, *nisi quod* in bona uxore tanto major laus quanto in mala plus culpæ est. Copiosius de h. l. disputavit Wex (in Proleg.), qui putat, id, quod limetur, verbis *et invicem se anteponendo* contineri necesse esse, et multa addit, quibus, quid cogitaverit et dicere voluerit scriptor, bene explicatur, quomodo connexæ sint sententiæ, minus intelligitur. Secundariam autem enunciationem sine dubio eo consilio addidit Tac., ut »*mira*» vocabulum restringeret; »non *miram* tamen dixerim concordiam, si reputo, quod» cet.[1]). Atque si addo, quod arbitratur Kritz, socrui etiamtum viventi (vide capp. 44, 46) forsitan gratificari voluisse T. et laudem sententiæ inserere, hunc locum ad similitudinem ceterorum, in quibus pro *nisi quod* optime poni potest *attamen, verumtamen*, facile referri neminem præteribit. — Agr. 16. —

Nisi ut pro *ut non* D. 33 (Stil d. Tac. § 185); (*nisi ut* invenitur etiam: Ann. 3, 57 nec tamen repertum, *nisi ut* 5, 4 quid reliquum, n. u. — 14, 20 quid superesse —; h. 5, 25 quid profectum; Agr. 15 nihil profici —).

Si quidem, quæ particulæ condicionem »singularem et necessariam» supponunt, in minoribus solis scriptis exstat. G. 30.; Agr. 24. (D. 25 in aliquot edition.) — *Si modo* in solo Dialogo: 9.—10.

Si forte G. 39. —; D. 27. — 32. — *Si quando* et in Ann. et in minoribus scriptis (nullo loco in Hist.) Ann. 2, 57. — 63. — 4, 6. — 32. — 14, 43. —; G. 16. —; D. 10. — 29. — *At certe*[2]) in apodosi obviam est. Hist. 4, 58. —; G. 33. —; D. 19 (etsi); *certe* Ann. 16, 25 (post *sin*); *at* D. 21. *Ideo* Ann.

---

[1]) Cfr Hand. pag. 236 (4). — [2]) Hand. 4 pag. 219.

13, 21. —; in apodosi priorem locum obtinente 6,36. — 12, 39. — Formulas *si — idcirco, neque si — idc.*, quæ apud alios scriptores haud raro inveniuntur[1]), apud Tac. non reperi. — Neque *sin minus*, neque *magis si*, quam formulam recentiores pro *præsertim si* sæpius adhibere contendit Hand[2]), neque *maxime si* (cfr Hand. 3, 598) observavi. Sæpius autem obviam est *quam si* antecedente comparativo. —

Quodni, quodnisi in Agr. tantum: 16. — 26. — 37; *Quodsi* in omnibus scriptis (præter Germ.), circiter *vicies*, inveni. —

De particula *sive* pauca exponere libet. De formis vide DRÆGER., Stil d. Tac. § 129; Hist. Synt., dritter Theil pag. 143. — Quod observatum est, in Dialogo nullas formas nisi *sive — sive* (quinquies in una eademque periodo repetitur) usurpari, id etiam in Germ. et Agric. ita valet, ut aut *sive — sive* aut *sev — sev* opponantur (præter locum Germ. 34, ubi legitur *sive — sev*). Ad *tempora* autem et *modos* quod attinet, nihil dicam nisi observasse me, Tacitum variandi studio commotum aut *sive* cum alia particula alterutro loco conjungere aut tempora variare aut aliter alterutram sententiam conformare solere; quod quidem variandi studium etiam ex aliis rebus, ut jam aliquot locis supra est dictum, intelligitur. Exempla affero pauca: Ann. 3, 3 (imperf. — perf.) — 11, 31 (plusqu. — perf.[3]) — 12, 8 (plusqu. — abl. abs.) — 13, 39 (particip. præs. — sive ut) — 14, 4 (abl. abs. — imperf.) — 15, 56 (perf. — sive ut); Hist. 1, 39 (sive ut — sev imperf.) — 2,44 (plusqu. — imperf.) — 5, 4 (abl. abs. — sev quod).

---

[1]) Cfr Hand. 3, pag. 173; 4, pag. 100. — [2]) 3, pag. 560.
[3]) De h. l. vide MADVIG. Advers. crit. pag. 551.

Hac in extrema parte de sententiis condicionalibus, in quibus ellipsis verbi *esse* locum habet, pauca expediam. Atque ellipsin illam in formulis quibusdam, locutionibus, quæ in consuetudinem proverbii venissent, Latinis usitatam esse, vix opus est me commonere[1]). Et *Cicero* quidem raro verbum omittit, in primariis tantum sententiis et formas *præsentis indicativi*; qui quidem usus, apud Sallustium et Livium[2]) frequentior, aqud Tacitum latissime patet, ut, quo est ille studio brevitatis adductus, verbum *esse* non solum in indicativo modo et in primariis sententiis, id quod prope in consuetudinem se vertit, sed etiam in *conjunctivo* modo et *secundariis* sententiis haud raro omittat. Neque silentio prætereundum est, editores, quum aliquem locum, qui omisso verbo offenderet, invenissent, contra auctoritatem codicum verbum addidisse[3]). Dræger (Hist. Synt. pag. 180; Stil d. Tac. § 36) exempla affert omissi verbi post particulas *postquam*, *donec*, *dum* al., unum post *si*: Ann. 1, 28 accitur centurio Clemens et si alii grati in vulgus. Illi, quæ inveni, addantur: Ann. 1, 40 vel si ipsi salus vilis (auditur: *esset*), cur haberet — 2, 38 intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes (aud.: *erit*) — 12, 41 etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur tali occasione — 15, 11 peditum si quis integer longinqua et avia, vulnerati castra repetivere — Hist. 4, 13 cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et — inrupissent — (Annot. *Essem*, ubi vere est condicionale, numquam omittitur, nisi aut est

[1]) Nägelsbach, pag. 506 sequ.; Hist. Synt. pag. 171. — [2]) Kühnast: »Die ell. von *est*, *sunt* ist bei Liv. *überaus häufig*; verhältnissmässig *selten* dagegen die ell. von *erat*, *erant*, *fuit*«. — [3]) vide Hist. Synt. pag. 180; Philol. 26, pag. 112.

modus orationis obliquæ, aut altero verbo insequentis partis, quæ per particulam *et* cum priore conjuncta est, quasi absorbetur. Cfr Wex. Proleg. pag. 116. —) 4, 29 et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant (i. e. eos, qui effulgerent, si qui erant) — 4, 46 ac si qui aliorum exercituum, separatim adsistere jubet — G. 10 si prohibuerunt, nulla — consultatio, sin permissum, — exigitur — Agr. 24 idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma — 46 si quis piorum manibus locus, si extinguuntur —.

Ex verbo antecedente aut eadem aut alia ejusdem verbi forma audienda est[1]): Ann. 1, 74 — 4,17, G. 10. — 20. — 33. —

His locis indicativus in apodosi enunciationis condicionalis est omissus: Ann. 2, 57. — 4, 6. — 63. — 11, 24. — 12, 7. — 37. —; Hist. 4, 1 — 58. —; G. 17. —; D. 9. — al. His autem protasis *condicionalem* I aut II habet, in apodosi ellipsis verbi *esse* est: Ann. 6, 43 si statim petivisset, oppressa cunctantium dubitatio — 15, 8. — 42. —, Hist. 1, 89. —; Agr. 23. —

Semper in infinitivo *futuri* et *perfecti*, plerumque in *gerundivo esse* omittitur.[2]) In Annalibus et Historiis, quamquam participia, gerundiva non posita sunt[3]), insolentius omittuntur *esse* et *fore*. Exempla, quæ annotavi, hæc fere sunt: *Esse* omissum est: Ann. 1, 78. — 2, 5 at si mare intretur, promptam ipsis possessionem — 2, 14. — 83. — 3, 6. — 8. — 33. — 34. — 47. — 4, 28. — 6, 2. — 22. — 14, 3. —; Hist. 1, 32. — 3, 2. —

---

[1]) Cfr Hist. Synt. pag. 183, 191. — [2]) Cfr Kühnast. pag. 277; Lupum, pag. 4. — [3]) vide Madvig, § 479 a, ann.; § 406.

In his sententiis potius *fore* omissum censeo: Ann. 1,47. — 2, 85. — 11, 19. — 12, 2. — 15, 12. — Hist. 1, 33. — 3, 60. — 4, 75 (si velit — contentos).

Fuisse: Ann. 1, 33 (redditurus). — 2, 31. — 73. — 3, 16. — 4, 18. — 11, 22. Cfr Stil d. Tac. § 36. —
